

decimum tertium eam, cui ortum debet hypothesin, non æquè certò confirmat, tametsi eventus ex illa hypothesi præconceptus & prædictus æquè feliciter, imò felicissimè responderit. Nimirùm cum primâ vice spiritum fumantem videremus efflare fumos suos, non ante tamen, quàm vel inclinatis angustiorum collorum phialis aëri exteriori liberior accessus patuisset, vel ejus aliquot guttæ in apertum aërem essent profusæ, statim subibat animum nostrum cogitatio, si forte tenuissimi hujus ac resolutissimi spiritûs particulæ ab incumbentis aëris pondere exprimantur, æquè ac alii fumi aliàs ab eodem attolli solent, adeoque non alia causa effectûs adeo mirandi quærenda restet: Hoc verò si sit, erat in proclivi porrò inferre, in vacuo ab aëre loco nulla, licet effusi, spiritûs esse debet fumigatio, in loco maximam partem vacuo saltem exigua. Dictum, factum, respondebant omnia prædictionibus. Numquid igitur & hæc Hypothesis pro vera ac certa habenda erit? Sic equidem videri primo intuitu posset. Sed enim, ut vero consona judicetur hypothesis, non sufficit, si Phænomeno uni aut item alteri ita quadret, ut hæc etiam in futurum inde liceat conjicere; sed necessum est in super nullum aliud in eo genere Phænomenon, nec ullam aliam circumstantiam occurrere, quæ hypothesin illam jure possit eludere. Jam verò in præsentis casu, supposito huic, quod fumus ille ex laudato spiritu ab aëris pondere vel elatere exprimatur, probè quidem respondet id Phænomenon, quo, sublato aut imminuto aëris elatere, spiritus ille nihil aut minus fumat; sed obstat eidem Phænomenon aliud, quòd scilicet, etiamsi multus aër intra phialam supernè clausam spiritui dicto incumbat, eumque non minus, ac si aperto aëri subjaceret, premat & urgeat (quemadmodum in Phæn. XII. conclusus intra campanulæ angustias aër aquam subjectam tamen validè premebat) nihilominus fumi nihil exprimat, donec externo ac novo aëri, non aperto solùm sed inclinato etiam phialæ orificio, accessus liber patefiat. Cùm igitur in phiala